



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, & aliis Principibus carissimo
in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem
electo faventibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

litate præstabant, ita per Dei gratiam quòd discordia in gratiam convertetur. Expedi enim vobis & nobis ut consilium vestrum & auxilium apponatis sicut videritis expedire. Rogamus igitur paternitatem vestram, ut solito more benignè legationem nostram audiatis, & consilium vestrum, quod magnum est, apponatis, & latorem præsentium H. de Aquileia quàm citius poteritis nobis transmittatis; quia in prædicta curia consilio vestro & auxilio unà cum Principibus imperij uti volumus, facturi quod nobis mandaveritis. Ea quæ lator præsentium super iis vobis dixerit indubitanter credatis. Prædicta curia erit apud Vvoldam. Dominus Legatus non interfuit curiæ Sulak, quia pro negotiis Ecclesiæ ac nostris ad partes ierat orientales.

*ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Romanorum Imperatorem electo.*

Epist. 107.

Serenitatem tuam in Domino commendamus quòd ingratitude vitium fugiens, & Ecclesiæ Romanæ beneficia recognoscens, nobis post Dominum profectum suæ promotionis adscribit & per suas litteras constitetur quòd negotium ejus redactum esset in cinerem & favillam nisi ei manus nostra & beati Petri auctoritas assistisset. Consideras enim tecum & diligenter attendis quòd non labiis tantum te curaverimus honorare, sed in omnibus quæ ad promotionem tuam facere videbantur auctoritatem tibi præstitimus & favorem; dumque statum præsentem præterito confers, & utrumque altero diligenti meditatione meritis, & qualiter pars adversa, quæ in sua olim potentia confidebat, suis sit ex magna parte viribus enervata, consideras, intelligis quantum tibi per favorem apostolicæ sedis accesserit, quantumque factus sis te ipso robustior, & qualiter in promotione tua pars sit altera minorata; quæ per Dei gratiam te proficiente deficit, & te crescente decrevit. Gaudemus etiam quòd is cujus vices in terris, licet insufficientes, gerimus & ministerium exercemus, iudicium nostrum videatur misericorditer approbasse, cum ei quod plantavimus & rigavimus dedit incrementum & daturus credatur in proximo ad perfectum. Verum non nostrum, sed suum potius iudicium approbavit. Quoniam nos ejus exemplo super imperij Romani negotio non fuimus personarum aut munerum acceptores, nec potentem respeximus & despeximus impotentem; sed potente potius ob causas rationabiles & multiplices reprobato, elegimus & assumpsimus impotentem, ejus inhaerentes vestigiis qui exultat humiles & humiliat contumaces. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus quanto Deus te amplius exaltarit, tanto magis in ejus humilites te conspectu, elationem cordis fugiens & extollentiam oculorum, non solummodo apud Dominum, sed & apud imperij Principes & pauperes quoslibet & minores. Beneficia quoque apostolicæ sedis assidua tecum meditatione recensens, eam, sicut debes, in capite veneris, & in membris honores; sciens quòd caput membro gaudenti congaudet, & parti dolenti suum condolerit universum. De nobis autem, quorum constantiam es expertus, si quid tibi fuerit sinistri suggestum, omnino non credas; sed puritatem nostram ex operibus nostris attendas, non credens sermonibus detractorum,

qui ad tuum potius detrimentum immisiones per malos angelos facere moluntur; non tam ut tu contra sedem apostolicam movearis quàm ut nostra circa te conscientia vulneretur. Cum autem Dominus tempus tibi concesserit opportunum, quo possis feliciter imponere laboribus tuis finem, vide ne in vacuum gratiam ejus accipias & accepto tempore negligas causam tuam; sed opportunè ac importunè insistas ut quod quæris invenias, & accipias quod expectis & exoptas. Quia verò, sicut accepimus, in manu forti es Sueviam intraturus, volumus ut indemnitati Ecclesiarum & religiosorum locorum quantumcunque poteris studeas providere, cavens sollicitè ne monasterium de Salem, in quo fratres Cisterciensis ordinis laudabiliter conversantur, destruat occasione hujusmodi vel enormiter & graviter opprimatur. Ceterum quoniam, ut docet Apostolus, non omni spiritui est credendum, sed probandi sunt spiritus si ex Deo sint, cum frequenter angelus Sathanæ transfiguret se in angelum lucis, & sæpe immisiones fiant per angelos malos, verentes ne fraudibus noceat qui viribus nocere non potest, super quibusdam quæ dilectus filius H. Aquilegensis nuntius tuus nobis proposuit ob cautelam nostram & commodum tuum ad præsens non duximus aliud respondendum nisi quòd in omnibus te circumspectum exhibeas ac prudentem, nec verbis detinearis inanibus, ut cum tempus acceperis, oblata tibi temporis opportunitas dilabatur, aut circumveniaris fraudibus exquisitis, ut quos habes amittas, & quos habiturus fueras non acquiras. Datum Anagninæ VII. Kal. Februarij.

*ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS,
Abbatibus, Ducibus, & aliis Principibus carissimis in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventibus.*

Solet esse tam messis quàm vindemia cultori gratior post laborem, & non solum mercenarius finem sui operis præstolatur, sed & viri fortes habent menses vacuos, & dies sibi laboriosos enumerant, donec quod feliciter inchoaverunt felicitè exequantur. Sanè summa intentionis finis operis esse debet, nec solet incipere sapiens quòd nolit aut nequeat consummare, sciens quòd finis non pugna coronat, & non qui cæperit, sed qui perseveraverit, salvus erit, nec currentes, sed percurrentes bravium apprehendant, aut coronentur qui nisi usque in finem legitime decertaverit. Siquidem cum ad promotionem carissimi in Christo filij nostri illustri Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi tam in personis quàm rebus plurimum laboraveritis hætenus, nec fuerit labor vester inanis, immo plantæ quam plantastis diligentius & rigastis dedit Dominus incrementum, ita ut maturitati proxima jam spondeat uberes fructus vobis, cavete ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed eam potius tempore acceptæ accepto, & cum via vobis pateat & sit oblata facultas, quia semper nocuit differre paratis, non quærat moras aut dilaciones caperetis, sed eis omnino postpositis, quòd bene cæpistis, quantum permiserit Dominus, com-

Epist. 108.

pleatis. Ecce enim regiones albet ad messum, ita ut nisi messor negligat messionem, sed false accingat potius ad metendum, metere non solum quæ seminaverat ipse possit, sed in aliorum intrare laborem & quæ alij seminaverant congregare. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ut finem de cetero tam vestris quam imperij laboribus imponatis, taliter vos accingere procuretis ut cum eum vocabimus ad coronam, nulla vos mora detineat quin in forti manu & brachio extento, prout videbitur expedire, ad nostram eum præsentiam honorificè adducatis, apostolica benedictionis gratiam & sacræ unctionis mysterium suscepturum. Taliter igitur exequimini quod mandamus ut ea intentione vos ostendatis hæcenus laborasse quod finem tantis imponeretis laboribus & dignè reciperetis pro tanto & tam diutino labore mercedem. Datum Anagninæ 19. Kal. Februarij.

In eundem fere modum Lantgravo Thuringia.

In eundem modum Comiti Palatino Rheni.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI,
spirituum consilij sanioris.

Epist. 109.

IN admirationem inducimur vehementem & non modico merore turbamur quod cum Magdeburgensis Ecclesia in magnæ necessitatis articulo, videlicet tempore schismatis, sinceritatem devotionis & constantiam fidei Ecclesie Romanæ servavit, & in eadem usque ad hæc tempora permanerit puritate, nunc te faciente, quod dolentes referimus, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & argentum tuum in scoriam est conversum, contra id quod de te hæcenus putabamus. Inter ceteros etenim ecclesiasticos & seculares imperij Principes te credebamus Romanam Ecclesiam quodam modo specialius venerari & nos ipsos brachiis sincerioris caritatis amplecti & sic in apostolicæ sedis devotione firmiter permanere ut nec mors, nec gladius, nec fames, nec aliud te posset à caritate ipsius aliquatenus separare. Sperabamus siquidem quod sic nobis fideliter adhereres quod velles cum triumphantibus triumphare, ac licet casum non posses formidare nobiscum, reputares tamen, si cum cadentibus caderes, gloriosum, & beatum te crederes si persecutionem propter justitiam & obedientiam patereris. Sanè advertere debuisses ne relicta obedientiæ semita, contra stimulum calcitrans, ad inobedientiæ devia declinares, cum obedientia præferatur victimis, & idololatriæ inobedientia comparetur, dicente Propheta: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci ejus? Melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipe arietum; quoniam peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Legeras autem quod inobedientia de paradiso primum hominem expulit, & Saulem à regno deiecit. De Christo verò, quia factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis, in Apostolo novimus te legisse quod propter hoc Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in

nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quia ergo scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, & servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis, cum quàm commendabile sit obedientiæ bonum & quàm detestabile inobedientiæ vinculum ex divinæ paginæ didiceris lectione, veterem hominem cum actibus suis exuere debuisses & novum induere qui tibi & aliis reliquit exemplum ut sequamini vestigia ejus; quatenus sicut ipse non solum obediens Deo patri, sed Mariæ ac Ioseph subditus fuisse describitur, sic & tu superioribus subditus non resisteres contumaciter, sed humiliter obediens; ne si aliter ageres, pro pari crimine puneris non impariter cum Saule. Licet autem inobedientiæ vitium potuissimus jam pridem in te graviter vindicare, cum propter hoc per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, qui quantus in Cisterciensi ordine fuerit, & quantum locum in Ecclesia meruerit obtinere, quantumque per injunctum ipsi legationis officium auctoritatis ei accesserit & honoris, te non credimus ignorare, fueris excommunicationis sententiæ innodatus, nec te propterea excommunicatum habueris, sed excommunicatus præsumptis celebrare, nos tamen canis tuis & honestati parentes, quantumcunque videmur derogare Legato, licet id non faceremus animo derogandi, te fecimus à vinculo excommunicationis absolvi, credentes quod patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, nec gratiæ nostræ te de cetero exhiberes ingratum, sed gratias agens potius obediens. Verùm, sicut opera tua testimonium perhibent veritati, factus est novissimus error tuus pejor priore, cum ex benignitate nostra sis amplius induratus, ita ut despere videaris in senio qui tempore sapueras juventutis. Ecce etenim cum idem Legatus, de quo fiducialiter gloriamur quod à muneribus excutit manus suas, & de quo verè dicere possumus, *Non fuit qui ditaverit Abraham*, tibi ex parte nostra sub debito juramenti quod in tua nuper absolutione præliteras districte præceperit, & nos etiam per litteras nostras dederimus in mandatis ut super imperij Romani negotio nostræ acquiesceres voluntati, & carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos in Regem suscepimus, tu quoque nobiscum eum in Regem suscipiens, fideliter adhereres, tu tamen nec ejus nec nostro mandato deferens, nec prælitum juramentum attendens, noluisti quod mandatum tibi fuerat adimplere; immo cum propter hoc excommunicatum te renuntiaverit & perjurum, relaxasti contra eum & Romanam Ecclesiam linguam tuam, & nescimus cujus appellationis obtentu deferre sententiæ contempsisti, cum etiam in dubio debuisses viam eligere tutiorem, & donec res nostro diffiniretur iudicio, sententiam observare. An fortè putas quod mandatum tibi factum fuerit contra Deum, aut in tali negotio, tamquam ad apostolicam sedem non spectet, nobis

Vide supra
epist. 56. 84.